

Podosinov A.V.

De nonnullis locis communibus in barbaris septentrionalibus describendis apud scriptores Latinos

[Stable URL: <http://elar.uniylar.ac.ru/jspui/handle/123456789/3388>]

[:]
Podosinov A.V. 2010: De nonnullis locis communibus in barbaris septentrionalibus
describendis apud scriptores Latinos // :
. 1, 35-40.



THE SCIENTIFIC & EDUCATIONAL
CENTRE FOR CLASSICAL STUDIES
AT YAROSLAVL DEMIDOV STATE UNIVERSITY
YAROSLAVL, RUSSIA

DAS WISSENSCHAFTLICHEN FORSCHUNGS- UND
STUDIENZENTRUM FÜR DIE GESCHICHTE,
KULTUR UND RECHT DER ANTIKE
DER STAATLICHEN DEMIDOW-UNIVERSITÄT JAROSLAWL
YAROSLAWL, RUSSLAND



RUSSIAN SOCIETY OF CLASSICAL STUDIES



« »
THE RESEARCH AND EDUCATIONAL FOUNDATION
"THE CENTRE FOR ROMAN LAW STUDIES"
YAROSLAVL BRANCH



YAROSLAVL DEMIDOV STATE UNIVERSITY



A. V. Podosinov

DE NONNULLIS LOCIS COMMUNIBUS IN BARBARIS
SEPTENTRIONALIBUS DESCRIBENDIS APUD
SCRIPTORES LATINOS

(Typis primum datum est: Acta omnium gentium ac nationum conventus quinti latinis litteris linguaeque fovendis. De Roma et provinciis septentrionalibus ad occidentem vergentibus. (Acta Treverica 1981). Leichlingae, 1984, 63-67)

Magistro meo Nicolao Fedorov s.

Non mirum est Ovidium initio aetatis nostrae ad oram occidentalem Ponti Euxini relegatum magni pretii testem ac scriptorem rerum gestarum populorum ad Danubium inferiorem habitantium a multis viris doctis existimari. multae enim et variae descriptiones vitae cultusque, morum atque habitus gentium Ponticarum in carminibus eius in exilio scriptis scilicet, in *Tristibus* et *Epistulis ex Ponto*, continentur.

Inveniuntur viri docti, qui credant omnia fere, quae Ovidius de his rebus enarraverit, vera esse et sine ulla dubitatione amplissimas conclusiones ad historiam, ethnographiam, instituta civitatis nec non cultus ac mores populorum Ponticorum pertinentes faciant.

Saepe, exempli gratia, verba ac litteras poetae sequentes fidem dant Ovidio narranti Getas – gentem illam barbaricam – in oppido Tomis Graecis praevalere et maiorem partem domorum inhabitare; magnas turbas Getarum per medias oppidi vias armatos equitare; paucos tantum Tomitanos vestigia linguae Graecae conservare, ipsam autem linguam Graecam ‚Getico sono victam‘ barbaramque factam esse aliaque huius generis.

Sed illi doctissimi viri obliti sunt Ovidium imprimis poetam fuisse non autem scriptorem rerum gestarum vel morum, – ut ita dicam – ethnographum doctum;

Musamque eius in exilio minime ut *index nimium quoque vera malorum et testis incorruptus* (Ex Ponto 3.9.49-50) intellegi posse. nam quomodo poeta *sine ira et studio* res narrare potuerit, cum omnia carmina eius unum paene propositum sequantur: misericordiam Augusti appropinquantiumque eius evocare, iram principis placare, poenam gravissimam levare, attamen, ut Ovidianis verbis utar, *tutius exilium pauloque quietius* (Tr. 2.577), si quidem non reditum Romam, impetrare.

Quid nisi de vitio scribam regionis amarae? – exclamat poeta in Epistulis ex Ponto (3.9.37). has omnes res iam suo tempore Eugenius Lozovan vere tractabat in opere suo *Réalités pontiques et nécessités littéraires chez Ovide* (in: Atti del Convegno Internazionale Ovidiano, Sulmona 1958, v. 2 p. 355 sqq.).

Nobis descriptiones Ovidii ethnographicas tractantibus hae duae res ad eius artem poeticam pertinentes respiciendae sunt, primum, propinquitas Ovidianae artis ad artem rhetoricam, quod multis commentationibus doctis iam demonstratum est. deinde facile observari potest Ovidium fabulas, formas, colores ipsaque verba ab aliis auctoribus inventa persaepe et magna cum levitate in carminibus suis usurpatum esse et exempla ac sententias iam paratas suscepisse, quae res Musae Ovidianae maxime propria est.

Omnes illas quaestiones in mea brevi relatione examinare non ausus unum tantum locum Ovidianum tractare hodie velim, qui multis viris doctis magni momenti esse in testimoniis Ovidii de Getis aestimandis videtur.

In carmine enim tertio decimo libri quarti Epistolarum ex Ponto poeta narrat se in concilio Getarum poema recitavisse Getico sermone scriptum et Augusto familiaeque eius consecratum.

Primo obtutu vera ac ad ipsam vitam spectare videtur illa Getarum descriptio recitatione poetica prolata. hoc enim modo Ovidius de Getis poema approbantibus scribit:

*Haec ubi non patria perlegi scripta Camena
Venit et ad digitos ultima charta meos,
Et caput et plenas omnes movere pharetras,
Et longum Getico murmur in ore fuit.*

(Ex Ponto 4.13.33-36)

Sc. Lambrino primus, ni fallor, fuit, qui descriptionem hanc cum similibus in historiis Ab urbe condita Titi Livii (21.20.1) et Taciti Germania (11.2) occurrentibus comparavit, similitudo descriptionum trium auctorum Latinorum, qui eadem paene de Getis (Ovidius), Gallis (Livius) et Germanis (Tacitus) tradiderunt (Galli enim et Germani quoque armati in concilium venire et orationem approbantes armis concutere solebant), Lambrino grave documentum veritatis narrationis Ovidianae videtur, nam haec consuetudo plerisque barbaris populis Europae septentrionalis communis est.

Quae cum ita sint, vir ille doctus conclusiones ampliores de moribus ac institutis civitatis Tomitanae atque adeo de vita communi Getarum ac Graecorum facit.

Equidem tamen censeo verba Nasonis de Getis in oppido Tomis dominantibus, de lingua Graeca tamquam victa Getico sermone, de carmine Ovidii Getica lingua scripto, etc. fictiones modo poeticas ac rhetoricas esse, quae opportunitatem poetae praeberint *vitia regionis amarae* depingere. haec suadet nos cum observatio textuum Ovidii ipsius, tum eorum comparatio cum rebus archaeologicis ac epigraphicis, in regione Tomitana inventis. de his omnibus rebus in dissertatione mea testimoniis Ovidii historicis consecrata nuper tractavi (Proisvedenia Ovidia cac istocnic po istorii Severnogo i Severo-Sapadnogo Pricernomoria, Mosquae 1979); inspicere quoque opiniones similes N. V. Vulich, VDI, 1, 1974, p. 64-79 et R. Syme, *History in Ovid*, Oxonii, 1978, p. 16-18.

Non difficile est monstrare multas descriptiones Ovidii naturam terrae Ponticae ac ethnographiam regionis huius tractantes potius litterarum memoriam a prioribus scriptoribus traditam quam experientiam poetae in exilium relegati secutas esse, quae res artis poeticae Ovidianae semper propria fuit.

Mihi persuasum est et in hac quaestione non aliter res se habere, descriptio Getarum orationem clamore approbantium et arma concutientium non potest recte intellegi nisi comparatione cum aliis locis communibus (τόποι), qui in libris antiquis de moribus populorum inveniuntur.

Recte enim iam Eduardus Norden in opere suo doctissimo *Die Germanische Urgeschichte in Tacitus' Germania* (Lipsiae et Berolini 1920) scripsit (p. 56): *Das von einem Beobachter über ein bestimmtes Volk Ausgesagte wurde von einem anderen auf ein anderes Volk übertragen...* (p. 139): *Man könnte von ethnographischen Wandermotiven sprechen...* multa huius modi exempla locorum communium in barbaris populis describendis apud scriptores antiquos vir doctus Germanicus Alfred Schroeder in dissertatione *De ethnographiae antiquae locis quibusdam communibus observationes* (Diss. Halis Saxonum 1921) collegit et comparavit.

Notum est consuetudinem multorum populorum barbaricorum in concilium cum armis venire et omnino in vita publica quotidiana armatos versari unum e talibus locis communibus a pluribus scriptoribus antiquis traditum fuisse.

Multo enim ante Livium et Tacitum, quibus Sc. Lambriño locum Ovidianum comparavit, haec opinio de barbaris vel de priscis Graecis antiquitus quoque more barbarico usis apud scriptores Graecos inveniri potest.

Iam Thucydides haec de Graecis priscis tradidit: *πᾶσα ἡ Ἑλλὰς ἐσιδηροφόρει... καὶ ξυνήθη τὴν δίαιταν μεθ' ὄπλων ἐποιήσαντο ὡσπερ οἱ βάρβαροι* (1.6.1). Aristoteles quoque hunc antiquitatis morem Graecorum barbaricum esse putat: *τοὺς γὰρ ἀρχαίους νόμους λίαν ἀπλοῦς εἶναι καὶ βαρβαρικούς. ἐσιδηροφοροῦντό τε γὰρ οἱ Ἕλληνας* (Pol. B 8.1268b 39). apud Posidonium (FHG III 24 M) et Nicolaum Damascenum (ibidem, 105 M = Ephorus?) eadem, sed de Celtis, legimus.

Inter auctores Latinos, qui τόπον hunc susceperunt, Caesar (BG 5.56.2; 7.21.1) et Livius (21.20.1) de Gallis, Tacitus (Germ. 11.2; 13.1; 21.1; Hist. 5.17.13) de Germanis et Ammianus Marcellinus (23.6.75) de Persis commemorandi sunt.

Multi viri docti, qui descriptiones illas ethnographicas Caesaris, Livii et Taciti tractabant, non dubitant, quin testimonia eorum magna ex parte e fontibus Graecis orta et ea de causa fide vix digna sint (cf. opera, quae A. Klotz, K. Trüdinger, E. Norden, A. Schroeder, H. Drexler, F. Hampl, G. Walzer, R. Syme et alii scripserunt).

Haec e.g. A. Schroeder scribit: *Cum hoc modo posterior quisque scriptor priorum describendi rationem simpliciter susciperet, saepe fieri non potest, quin descriptionis veritas detrimentum caperet. hoc periculum praecipue tum impendebat, cum non modo depingendi color, sed res ipsa ab alio populo ad alium transferebatur* (op. cit. p. 48).

Haec de scriptoribus rerum gestarum. quid autem a poeta expectare debemus? hoc enim *periculum veritatis detrimenti* apud Ovidium multis in rebus etiam maius fuisse apparet.

Inter omnes e.g. constat Ovidii descriptionem *hiemis Tomitanae* (Tr. 3.10) non solum structuram ac argumenta, sed etiam multos depingendi colores Vergilianae imaginis *hiemis Scythicae* (Georg. III 349-383) suscepisse (cf. R. Martin, S. Besselich, H.B. Evans, N. V. Vulich et al.).

Quae cum ita sint, non nimium absurdum est conicere partes coloresque gravissimas in Ovidii descriptione Getarum concilii quoque de aliquo litterarum fonte ortos esse.

Quem autem Ovidius imitari potuit?

Livius, cuius opera poetae sine dubio optime nota fuere (cf. E. Soffer, Livius als Quelle von Ovids Fasten, Vindob. 1905-6), vix Ovidii fons directus considerari potest. haec enim de Gallis scripsit: *in iis nova terribilisque species visa est, quod armati – ita mos gentis erat – in concilium venerum* (Ab urbe condita, 21.20.1). hoc in testimonio unam saltem rem descriptioni Ovidianae similem invenimus (armati in conventu adsunt), quod per se vix sufficiebat, ut materia imitationis poetae nostri fieret.

Quae ad Taciti Germaniam pertinent, multas iam res inter se consentire videntur. in Germania enim legimus (11.2): *ut turbae placuit, considunt armati. . . ; si displicuit sententia, fremitu aspernantur, sin placuit, frameas concutiunt: honoratissimum adsensus genus est armis laudare.* simili modo Tacitus de Batavis, gente Germanica, scripsit: *sono armorum tripudiisque – ita illis mos – adprobata sunt dicta* (Hist. 5.17.13).

Duae hoc in loco res iam cum Ovidii verbis comparari possunt: primum, quod barbari armati considunt, deinde, quod armis concutiendis oratorem laudant. discrepant autem inter se, quae Tacitus et Ovidius de orationis approbatione vocibus

expressa narrant. cum Ovidius *longo murmure* Getas maximam laudationem recitationis suae exprimere affirmat, videt Tacitus in fremitu Germanorum Signum oratoris aspernandi (cf. in eiusdem Hist. 3.10.3 de militibus Romanis in concilio: *fremitu et clamore ceteros* [sc. oratores – A. P.] *aspernantur*).

Quae cum ita sint, difficile est suspicari Ovidium eodem fonte quo Tacitus (qui multo post Nasonis aetate vixit) usum esse.

Quantum equidem iudicare possum, optimam Ovidio opportunitatem imitandi locus unus e Caesaris Bello Gallico praebere poterat, qui textus cum a Schroeder, tum a Lambri no silentio praetermissus est.

Caesar enim Gallos, qui orationem Vercingetorigis ducis sui exaudiebant, his verbis describit: *Conclamat omnis multitudo et suo more armis concrepat, quod facere in eo consuerunt, cuius orationem approbant* (BG 7.21.1).

Comparatio textuum utriusque auctoris monstrat omnes partes descriptionum similes esse: primum, quod et Galli Caesaris et Getae Ovidii armati in concilium veniunt, deinde quod arma concutiunt (aut pharetras movent), et postremo quod vocibus (clamore aut murmure) approbationem suam exprimunt.

Non est dubium, quin Caesaris opera Ovidio (ut ceterum et omnibus Romanis eruditis) iam ab adulescentia bene nota fuerint. itaque tristem vitam suam in opido Tomis Caesarianis coloribus depingens fidem lectorum Romanorum auctoritate scriptoris celeberrimi excitare speravit. recte enim Ronaldus Syme in libro suo de Tacito (Tacitus, Oxonii, 1958, p. 125) scripsit: *A man's own experience might seem less attractive and convincing than what stood in literary tradition, quaranted by time and famous names.*

Haec res quoque Ovidio magni momenti videri poterat: verbis claris Caesar esse commemorat consuetudinem eam Romanis inusitatam ideoque barbaricam visam (cf. *suo more, consuerunt*). eo modo dolores poetae *inter barbaros, in mediis barbaris, in terra barbara*, quas Ovidius veras esse demonstrare cupit, confirmationem validiorem fidemque maiorem accipere poterant.

Enarrationem Romanis bene notam adhibens Ovidius, cuius arti poeticae id maxime inerat, ut fabulam formasque paratas paulum modo mutaret, aliquos colores "locales" ad picturam addere debebat, ut pro Caesarianis Gallis Getae apparerent; incerta *arma*, quibus apud Caesarem *concrepatur*, in Ovidii descriptione iam *pharetrae motae factae* sunt (poeta saepe Getas sagittarios esse commemorat); non nimium cultus *clamor* in leve ac reverens *murmur* permutatur.

Bene ceterum intellego multas res ethnographicas ita iam longe lateque inter Romanos eruditos diffundi potuisse, ut phraseologiae vulgaris pars non unius auctoris inventio vel possessio fieret. quamobrem Ovidius hoc loco communi uti quoque potuit sine directa notione descriptionis a Caesare editae.

Quaestionem ergo difficiliorem esse quam videatur, clarum est. nostrum vero propositum erat non solum unum e fontibus probabilibus loci Ovidiani monstrare,

sed arguere fontem hunc potius in litterarum memoria investigari debere quam in propria poetae experientia vitae.

Itaque haec impositio veritatis, quae ingenio poetae clarissimi efficitur et ad nimium credulam interpretationem eius testimoniorum tendit, magna ex parte deminuitur, ne dicam plane tollitur.

